



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

§ 8. Alia quaedam eminentia Abbatis Regalia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

Vnde & Wenceslaus Imp. *facta in destructionem Monasterij S. Maximini*, ait, *facta in præiudicium Sacri Imperij*, vide etiam eius mandatum sub Num. 43. vbi Maximinianos artifices, tanquam separatos à Treuirensibus subditos protegit.

Eodem spectat, quod sæpius ab Imperatoribus constitutum fuit & confirmatum, vt subditi Maximiniani non nisi inter se matrimonia contrahant, nisi fortè velint ex familia S. Petri, idq; cum consensu Imperatoris coniugem assumere. Vide Diploma Henrici III. sub N. 24. Henrici V. sub N. 30. quibus plura similia proferri possent, quod ideo statutum arbitramur, ne subditorum territorijque Iura confunderentur.

*S. 7. Idem Abbas in causis ciuilibus & temporalibus soli Cæsari subijcitur.*

**N**Otorium & irrefragabile est, Abbatem apud solum Imperatorem, eiusq; Tribunal conueniri posse, si quæstio, aut lis ei circa temporalia moueatur. Eiusce rei plurimos habemus & exhibuimus Actus; quorum vnum alterumue referre suffecerit. Habemus citationem Wenceslai Romanorum Regis, emanatam à Consilio eius aulico Pragæ Anno MCCCCLXXXV. qua Abbas, Prior, Decanus & Conuentus S. Maximini citantur, vt coram dicto Consilio certo die compareant, vt ad querelas Christiani von *Marchen* respondeant. Extant Originales Caroli V. datæ Augustæ Anno MCXXX. 26. Septembris ex quibus patet Moniales Hospitalis S. Ioannis Treuiris, cum ob venditionem non solemnizatam haberent causam contra Abbatem apud Cæsarem, velut ordinarium eius Iudicem supplicasse & actionem intentasse. Item ex antiquioribus Wenceslai Imperatoris, datis Confluentiæ Anno Regni Rom. XXII. quibus docetur Capitulum & Decanum Maioris Ecclesiæ Treuirensis ob non solutos prætenso redditus propter pecuniam ad censum acceptam, contra Abbatem supplicasse Cæsari, velut ordinario Abbatis Iudici.

*S. 8. Alia quedam eminentia Abbatis Regalia.*

**A**B Imperatoribus nonnullæ maiorum Regalium species Abbati prædicto concessæ reperiuntur, quæ non nisi insignibus Imperij membris concedi solent, cuiusmodi sunt monetaria, vsus & cultura mineralium, Ripaticum, Telonia, munitiones &c. quæ illi concessæ sunt, iam abhinc septingentis prope annis, & quædam etiam ab annis octingentis, pridem, antequam Treuirenses Archiepiscopi S. R. I. Electores essent.

Probantur autem ista concessa Maximiniani quoad monetam eudendam & telonium ex Rescripto Ingelheimensi, Ottonis III. Imp. vbi dicit, *Ob remedium anime nostræ ac parentum nostrorum, Ostrado Reuerendo Abbati de S. Maximino, suisque Successoribus largiti sumus, concessimus & perdonauimus Ius, potestatem, securamque licentiam, mercatum & monetam construendi, faciendi & tali legitimo stabilitatis ordine, vt idem Abbas, tam ipse, quàm sui Successores in sua liberali potestate teneat, regat & perpetualiter habeat idem mercatum cum moneta, & telonio, & totius Reip. functione & dispositione.* Et mox, *Quicumque autem huius nostræ autoritatis, concessionis & potestatiuæ perdonationis, contradictor & violator in aliqua re extiterit, sciat se componere nostrum bannum, &c.* Item ex Rescripto Henrici NIGRI Imper: dato ex Botuelt, anno MLVI. ad Theodori-

cum



cum Abbatem, in quo eadem verba leguntur, quæ in Rescripto Ottonis, mutatis tamen mutandis. Hoc habes sub Nu. 25.

Quoad concessionem autem, usus & culturæ mineralium iridem Maximilianis factam, probatur ex rescripto Maximiliani I. Imp. dato Treuiris, vbi dicit, *Addentes insuper & concedentes ipsi* (Abbati S. Maximini, de eo enim est Sermo) *& Successoribus suis usum & culturam mineralium*, illud habes sub N. 61.

Item ex Rescripto Caroli V. Imp. per Vicarium Ferdinandum Fratrem suum, dato Norimbergæ, mutatis mutandis, verba similia sunt verbis Maximiliani supra, vide sub Num. 67.

Quoad Ripaticum, & quoad telonia, præterquam quod ab omni memoria notorium sit, probari tamen potest Cæsareis Abbatum inuestituris *de fluminibus*, itemque antiquis documentis & priscis pagicis epidigmatibus (*Scheffen Weistumb* vocat) testibusque; omni exceptione maioribus plura docētibus de peculiari Maximinianorum Telonio in Mosella, de Iure vadi in vtraque ripa, de Pharo, *besondern Zoll auff der Mosel/ vberfahrens gerechtigkeit vff beeden vfferfahrhaus*, de potestate maleficos ibidem submergendi, corpora submersa inde eleuandi, *Wisthätige personen darin zu extrencken / thote Körper darin zuerheben*, de regijs vijs in territorio Maximiliano, *Landstrassen im Maximinischen gebiet*. Ad quæ omnia sic prædicta concessio Dagoberti conformatur, qua regiam curtem Decimam hodie Detzem, cum adiacentijs & pertinentijs donauit. Vide donationem sub Num. 1.

Quoad munitiones, probatur I. ex antiquissimo S. Gregorij II. documento, in quo habetur iuxta Regum & Imperatorum priuilegia, vt nullus Dux, nullus Comes, nulla persona Ecclesiastica, siue Mundana in possessione vel allodio S. Maximini Montem siue Rupem capere, vel munitionem in eis facere præsumat, nisi forte Abbas eiusdem Monasterij, propter metum Paganorum, vel propter incurSIONem malignorum hominum ad tempus, donec tranquillitas pacis redeat, se suos interim muniat, vide sub N. 2.

II. Ex litteris concambij, inter Sigifridum primum Comitem Luxemburgensem, & Abbatem Vikerum de Anno DCCCCLXIII. in quibus docetur Monasterium habuisse in edita rupe ad Alisuntiam munitionem Castelli, quod dicitur Lucelenburghut, hodie Arx Luxemburgensis. Originale litterarum adhuc superest.

III. Ex formula inuestituræ Regalium, cum inuestiatur in ea Abbas de Oppidis, Suburbij, Castris, Castellis, Rupibus, &c. vide eam sub N. 51. & seqq.

IV. Ex eo, quod ipsum Maximinianum Monasterium, velut oppidum separatum, fossas & mœnia sua in circuitum habuerit, vt etiamnum videtur, suburbia autem Maximiniana habuerint suos limites in ipsis portis Ciuitatis Treuirensis. In antiquissimis Theodorici Abbatis litteris ante DC. circiter annos editis, vocatur Monasterium S. Maximini *Castrum & Castellum S. Maximini*, eo autem nomine vocari *Oppidum* priscis temporibus, discas ex Turonensi, l. hist. 8. c. 15. vbi Oppidum Iuodium vocat Eposium Castrum, & ex testamento S. Willibrordi apud Scribanum in Orig. Antwerp. c. 5. vbi Antuerpo Castellum est Oppidum Antuerpiense, & ex donatione Rohingi Anno DCCXXV. facta, apud Miræum in Notis Eccl. Belgic. c. 15. vbi idem Oppidum vocatur Castrum Antuerpis, & ex literis Caroli Magni apud Miræum loco cit. c. 23. quibus Vrbs Aquisgranum dicitur Castellum. Litteras Theodorici habes sub Num. 28. quas lege, & discas Monasterium S. Maximini fuisse ab antiquis temporibus locum munitum, & oppidum suis proprijs mœnibus, portis excubijs distinctum à Ci



uitate Treurenfi. Ex antiquis quoque Originalibus doceri potest, de oppidi suburbijque Maximiniani vicis & plateis varijs, v.g. de platea Tilix, de platea fori, germanicè die Landgassen/die Martgassen/de macello ciuium Maximinianorum &c. Adfunt litteræ de anno MCCCCLXXVII. veneris post Ioannis Baptistæ Natiuitatis, quibus inter Abbatem Roricum & Laniones Treurenfes conuentum est, licet Abbas, prout assererat & re ipsa faciebat, posset in Maximiniano municipio seu Burgo tot Laniones & Macella habere, quot illi liberet, nihilominus, vt exinde in Maximinianorum Burgo essent tantum quinque macella & totidem laniones, qui in ijs carnes venales proponerent, reseruata tamen libertate S. Maximini Burgo, vt post mortem Abbatis Rorici liceret ciuibus Maximinianis tot habere macella & laniones, quot liberet, verba originalis sic habent: *Vnd sein Wir mit ein also geschlichtet/ das furbas/ als lang Wir geleben in Sante Maximins Gericht/ gewalt vndd Freyheit/ fünff fleischbencke/ daruff man fleisch verkauffe/ vnd fünff Fleischmeger/ die daruff fleisch verkauffen/ sein sollen/ vnd nit mehr/ mit beuelenisse Vnsern Nachkommen vnd Gotschynsse na Vnsern dober ob sie der fleischbencke vnd Fleischmeger mehr in Sante Maximins Irtheide vnd gewalt haben wülden.*

Id est.

*Et ita inter nos conuentum est, vt deinceps quamdiu viuemus sub Sancti Maximini iure, potestate & immunitate, quinque macella, in quibus caro ueneat & quinque laniones, qui in ysdem carnem vendant, esse debeant & non plures, reseruantes nostris Successoribus & Monasterio post obitum nostrum an plura macella & laniones in S. Maximini immunitate & potestate habere uellent.*

### *§. 9. Libera Electio Monasterio semper confirmata.*

**A**MULTIS sæculis peculiariter curæ fuit Imperatoribus, vt Monasterio huic electio libera Prælati, facta tecta maneret, proinde ea res meritò Regalibus & quidem maximi momenti accensenda est. Neque verò eam rem Imperium tantopere cordi habuisset, nisi Monasterium hoc Insigne sui corporis membrum esse constaret. Perpende Imperatorum diplomata à nobis exhibita, passim libertatem eligendi videbis confirmatam. Nam præter Pipinum Regem sub Num. 3. ita decreuit Carolus Magnus sub Num. 4. Ludouicus Pius Num. 5. Otto Magnus in Moguntino Num. 7. Otto II. Num. 16. Otto III. Num. 18. S. Henricus Num. 19. Henricus Senior Num. 26. Henricus Junior Num. 31. & plures alij: in super ij, qui prædictorum Imperatorum priuilegia & Diplomata confirmarunt.

Imperatorum voluntati Pontifices Maximi assensi sunt, qui Abbatis in hoc Monasterio liberam Electionem esse voluerunt, vt videre est in Bulla Gregorij II. sub Num. 2. Ioannis XIII. sub Num. 14. Ioannis XV. sub Num. 17. & luculenter in ea quam Innocentius II. concessit, vbi hæc verba leges, *Obeunte uero te eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus inibi qualibet subreptionis astutia, seu uolentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu seu pars consilij sanioris secundum DEI Timorem & B. Benedicti Regulam præuiderint eligendum.* vide Bullam sub Nu. 33.

Quanto uero studio & cura impediuerint Imperatores, si quando per uniones vel incorporaciones aliqui potentiores liberam Electionem extinguere vel diuertere sunt conati, apparet ex litteris Caroli V. Cæsaris N. 65. & Ferdinandi I. N. 66. Quod ratione Aduocatix & hæreditariæ protectionis etiam Philippus II. Magnus ille Hispaniarum Rex cordi habuit, vt apparet ex eius ad Conuentum S. Maximini datis litteris Num. 71.